EPISTOLA

EXC. ILLMI & RMI JOSEPHI COMITIS

GARAMPII

Archiepiscopi Berytensis, in Regno Poloniæ & Magno Ducatu Lithuaniæ Nuntii Apostolici, ad Illmos & Rmos DD. Archiepiscop. & Episcopos.
Data Varsaviæ die 30. Junii Anni 1775.

SAnctissimus Dominus noster PIUS PAPA VI. habita benigne ratione precum, quæ serenissimi Regis ac Reipublicæ Polonæ nomine, de imminuendo dierum festorum numero, qui ex Ecclesiæ præscripto vel consuetudine celebrantur, ad ipsum haud pridem pervenerunt; expensisque aliis ejusmodi postulationibus ac precibus, ad summos pontifices prædecessores suos delatis, tum relationibus ab illustrissimis & reverendissimis Regni & M. D. Lithuaniæ archiepiscopis & episcopis hac de re aliàs acceptis: haud amplius differendam censuit Dispensationem, quæ illud spectat, ut populus, commodioribus sibi comparatis vitæ sustentandæ rationibus, nova hac excitetur Ecclesiæ indulgentia; atque in accuratiorem ceterorum festorum dierum, qui erunt ex præcepto colendi, observantiam alacriter feratur.

Hujusmodi igitur pro Gente Polona indulgentiam Sanctitas sua ad normam ordinavit illarum, quæ locum jam habuere in partibus diœcesium, quæ alienas attingunt dominationes, ne cultus diversitas in ejusdem Ritus po-

A pu-

pulis, ad unam eandemque diœcesim spectantibus, ullam parere possit, inter idiotas præsertim, confusionem vel perturbationem, & conscientiæ simul sollicitudinem. Quod verò in iis locis jam laudabiliter obtinuit, ut & festivi qui retinentur dies maiori nunc celebrentur veneratione, & reliqui in pauperum redundaverint utilitatem, illud itidem a pia Polona natione summus pontifex sibi cumulate pollicetur.

Ægre tamen graviterque accepit, pravam in hoc Regno invaluisse consuetudinem, ipsismet constitutionibus synodalibus (*lib. 2. tit. de Feriis*) reprobatam, ut nundinæ ac venalium rerum publici mercatus, ut plurimum, festis diebus habeantur: quod quantum christianæ ipsorum observantiæ obsit atque adversetur, & experientia docet, & sapienter prædecessorum suorum vestigiis inhærens admonuerat s. m. Benedictus XIV. in suis literis sub annulo piscatoris die 5. novembris anni 1745. datis, quarum initium: *Ab eo tempore.* Ceterum, ex quo ejusmodi pontificiæ dispensationes concessæ Austriacis ditionibus fuêre, oculatus egomet ipse testis fui, quanta & quam singulari vigilantia festorum dierum sanctificationi consultum fuerit, eorumque proinde exactior observantia accreverit; quam severe nundinæ & mercatus omnes interdicantur; imo nullæ penitus officinæ vel tabernæ vendentium vel ementium commodo prostent, ac certæ duntaxat, eæque paucæ præfinitæ sint horæ (quæ nempe sacris exercitationibus, ac divinis vacant officiis), quibus vendere atque emere liceat res quotidiano victui omnino necessarias: sed hoc ipso intervallo omnes in officinis ipsis vel tabernis conventus, convi-

vivia, ac ludicra quæque & profana, omnino prohibentur. Præclarum sane, ac nunquam satis laudandum Augustorum in Deum pietatis documentum!

Hoc igitur proposito exemplo, nihil est, quod a nationis etiam Polonæ pietate sibi sanctissimus Pater non polliceatur: atque hoc ipsum mihi plane mandavit illustrissimæ & reverendissimæ Dominationi Vestræ non minus, quam ceteris collegis suis, diserte significandum, ut dum novæ pontificiæ dispensationis beneficium populis, eorum fidei curæque commissis, erunt promulgaturi, iisdem eo ipso tempore justissima ac piissima Sanctitatis suæ consilia ac monita patefaciant; adeo ut pastoralis sollicitudo nullis parcat rationibus, quibus possint tales abusus, ubi invaluerint, coërceri. Hinc unumquemque moneant, in Domino hortentur, excitentque ad exactam hanc dierum festorum observantiam; ac si opus est, adversus transgressores opem etiam implorent sæcularis auctoritatis, ut qui Ecclesiæ, conscientiæ causa, obsequi detrectaret, pœnarum saltem metu refrænetur & adigatur.

Audivit etiam sanctissimus Dominus noster, eam esse alicubi *Cmethonum* seu glebæ adscriptorum conditionem, ut vix ullum hebdomadæ diem ab operis domino præstandis exceptum habeant; vel eas statis diebus ita assignatas, ut nisi Festum aliquod iisdem diebus inciderit, non possint ab operibus domino præstandis se abstinere. Verum ea est Sanctitatis suæ fiducia, quam in hujus nationis religione, pietate & æquitate locavit, ut sibi in animum nequeat inducere, futuros esse dominos, qui miseros homines adigant ad defern-

ferendas festis diebus abrogatis eas operas, quas, stante ipsorum dierum præcepto, exigere ab iisdem usque adhuc non potuerunt. Nihilominus ad magis magisque bonorum animos excitandos, operæ pretium sanctissimus Pater arbitratur, per sacrorum pastorum vocem, & dominos, & servos admonere, se novo hujusmodi beneficio illud præcipue spectasse ac sperasse futurum, ut eorum, qui in sudore vultus sui panem comedunt, indigentiæ commodius provideretur: optare propterea, vehementerque petere, ut cum domini nullum opus aut ministerium diebus festis, qui ex præcepto vel consuetudine servabantur, a servis suis alterutri conditioni ut supra obnoxiis, exigere usque adhuc potuerint; ita neque in posterum repetant: etsi eorundem dierum servandorum præceptum, ex benigna erga pauperes pontificia miseratione, abrogetur.

Hæc igitur habui ex Sanctitatis suæ supremis mandatis illustrissimæ Dominationi Vestræ ac ceteris collegis suis, novæ pontificiæ indulgentiæ participibus, communicanda. Doctrina, studio atque obsequio erga Ecclesiæ caput suo vehementer confisus, dubitare nullo modo possum, quin illustrissima Dominatio Vestra singulis cujuscunque status personis, spirituali curæ suæ subjectis, manifestam Sanctitatis suæ mentem non sit declaratura; easque etiam ad ejus executionem excitatura iis hortationibus & monitis, quæ tum perspecta sua prudentia, tum rei argumentum atque ipsæ apostolicæ literæ sanctissimi Domini nostri, illustrissimæ Dominationi Vestræ abunde suppeditabunt. Hæc autem omnia in edicta referre juvabit, quæ vulgo *Processus* dicuntur,

eur, quibus populo suo novam pontificiam dispensationem denuntiabit. Omnes autem parochos, verbi Dei prædicatores, & confessarios, tam sæculares, quam regulares moneat, ut populos diligenter, uti opus est, instruant, tum de ratione, qua dies festi sanctificari debeant, quo ardore, quo pietatis studio, qua frequentia divinis officiis, sacris concionibus, & christianæ doctrinæ institutionibus; tum denique de sanctissimi Patris mente & consiliis, quæ supra in diligentiorem festorum dierum sanctificationem adimplenda declaravi, si populi, Dei & Ecclesiæ præcepto satisfacere, ac debitæ erga sanctissimum Patrem obedientiæ meritis, gratiæque suæ pontificiæ beneficio frui perpetuo voluerint.

Atque interim studium & observantiam meam illustrissimæ & reverendissimæ Dominationi Vestræ deferens, me esse ex animo profiteor &c. Datum Varsaviæ die 30. junii Anni 1775.

EPISTOLA ALTERA

Ad RR. PP. Superiores Provinciales Ordinum Regularium in Regno Poloniæ & Magno Ducatu Lithuaniæ existentium.

Ex adjuncto epistolæ exemplo, quam ad illustrissimos & reverendissimos archiep. & episcopos Regni Poloniæ & magni ducatus Lithuaniæ scribo, ut eis mentem sanctissimi Do-

Domini nostri PII PAPÆ VI. præcipuasque significarem rationes, quibus maxime permotus, ad enixas serenissimi Regis ac Reipublicæ preces, de imminuendo Festorum numero dispensationem benigne concessit, Vestra etiam Paternitas plane cognoscet, quid ipsi & religiosis provinciæ suæ viris faciendum sit, quidve populis inculcandum, ut se & ad Sanctitatis suæ consilia ac voluntatem conforment, & monitis, cohortationibus ac mandatis obsequantur, quæ proinde desiderari sacrorum pastorum prudentia ac sollicitudo minime patietur.

Mihi vero, pro ea peculiari cura & studio, quo ex mei ministerii munere Regulares Ordines ex animo complector, nihil modo aliud superest addendum, quam ut zelum, doctrinam ac prudentiam religiosarum familiarum magis magisque excitem ad populos ea recte edocendos, quæ ad justam legitimamque festorum dierum, quibus adnexum supererit præceptum, pertinent sanctificationem; quæque fuerint sanctissimi Patris rationes, ut reliquorum Festorum imminutionem indulserit. Cum enim ita provide consuluerit, ut jacturam illam compensent, quam in comparandis necessariis vitæ subsidiis patiebantur ex præcepto, quod pluribus infra annum diebus erat adjunctum, fore judicavit, ut omnes prorsus temporales curas & cogitationes deponerent diebus, qui supersunt, dominicis & festis mysteriorum Christi, beatæ Mariæ Virginis atque eorum Sanctorum, qui in pontificiis litteris enunciantur, in iisque ad animarum suarum salutem tantummodo incumberent.

Hinc vero inferendum neutiquam videtur, sum-

summum Pontificem ad hos dumtaxat dies curam circumscribere, quæ de propria sanctificatione, de omnipotentis DEI cultu, deque beatæ Mariæ Virginis ac Sanctorum veneratione inesse cuilibet debet. Hoc enim studio affici quotidie & continenter Christifidelem oportet, qui tenetur *orare semper & non deficere*; quinimo quæ facit, licet ad communes vitæ actiones ea pertineant, omnia ad DEI gloriam, honorem & cultum referre. Verumtamen quædam externæ actiones, quædam christianæ pietatis exercitationes ad festivos potius dies reservantur, in quibus, sepositis omnibus sæcularibus curis, animum possit attentius colligere; atque hinc, si quid antea deliquerit, agnoscere & corrigere, novumque eodem tempore hominem induere in justitia & sanctitate veritatis.

Videte, edicit Dominus, *ut sabbatum meum custodiatis, quia signum est inter me & vos in generationibus vestris, ut sciatis, quia ego Dominus, qui sanctifico vos* (Exodi *cap. XXXI. v.* 13). Ideoque *dominico die a labore terreno cessandum, at omni modo orationibus insistendum, ut quod negligenter per sex dies agitur, per diem resurrectionis dominicæ precibus expietur*: hæc s. Nicolaus I. pontif. max. in *Respons. ad Bulgaros cap.* 10. (*Concil. to. VIII col.* 522.). *Debet ergo*, ut optime notat s. Antoninus (*Summæ Theolog. Par. II. tit. X. cap. VII.* §. 4.) *die festo insisti operibus spiritualibus orationis, meditationis, auditionis divinorum, lectionis, & eleemosynis & hujusmodi*: & *inter cetera debent homines vacare compunctioni & contritioni peccatorum, recogitantes quæ egerunt aliis diebus, in quibus fuerunt occupati; dicitur enim Levitici*

tici cap. XVI. sabbatum requietionis est: affligetis animas vestras; *scilicet per contritionem, secundum Originem.*

Hæc omnia ac multo alia plura, perspecta quidem Paternitati Vestræ ac religiosis viris, haud æque tamen cognita idiotis sunt & populis, qui Dei & Ecclesiæ præceptorum vim non satis sentientes, se festorum dierum sanctificationem adimplevisse arbitrantur, quod sacro adstent, atque ab omni servili opere vacent: dum tamen quod reliquum est diei, in otio terunt, in comessationibus, in ebrietatibus, in impudicitiis. Sancti Patres majores nostri nunquam non destiterunt hujusmodi corruptæ & fragilis humanæ naturæ vitia coercere, modo legibus, modo hortationibus. *Idne est, o christiani*, ajebat s. Cyrillus Alexandrinus (*Lib.* VIII. *cap.* V. *in* Johannem) *celebrare diem festum, indulgere ventri*, & *inconcessis voluptatibus habenas laxare?..... Diebus ad exercenda servilia opera concessis unusquisque suo intentus est operi, & abstinet a crapula, ludis, & vanitatibus: diebus autem festis passim concurritur ad cauponam, ad ludos, ad spectacula, ad choreas, in derisionem divini numinis & diei prævaricationem?* Quare apposite ad rem nostram s. Augustinus monebat: *Judæi serviliter observant diem sabbati ad luxuriam, ad ebrietatem. Quanto melius foeminæ eorum lanam facerent, quam illo die in menianis saltarent! Absit fratres, ut illos dicamus observare sabbatum.* (*Tract. III. in* Johannem §. 20. *Tom. III. Pa. 2. pag.* 311. *edit. Parisien.*)

Absit igitur, ne christiani Judaicæ nequitiæ imitatores videantur. Attamen, si attentius consideremus: *nonne apud multos tota eorum occu-*

cupatio in festis est circa corpus? .... quia scilicet non Deo, sed sibi vacant, ventri & dæmoni .... Mulieres vacant, & non parum temporis expendunt in se ornando ad capiendas animas: famuli & famulæ ad præparandum cibos accuratius solito: mercatores ad faciendos suos computos & ratiocinia, ad scribendum libros & literas: inferioris conditionis homines ad audiendum de palatinis, vel spectacula vana: nulla cura filiorum & familiæ, sed omnes liberi dimittuntur ad faciendum mala; & quod cum multo labore per hebdomadam lucrati sunt, in festis, in tabernis & ludis, non in eleemosynis expendunt. Quæ animadvertens S. Antoninus (*loc. cit.*) quæstionem sibi proposuit *utrum quis, abstinendo se a criminalibus & operibus manualibus, per hoc solum quod non vacat divinis, nisi audiendo Missam, vel non audiendo quia non potest, sed per totum Festum solatiatur & ratiocinatur de otiosis, peccet mortaliter?* Et respondet: *videtur quod sic; quia maxime cadit sub præcepto, quod est de intentione legislatoris. Sed ad hoc intentio legislatoris hujus præcepti est, ut vacetur Deo. Talis autem non vacat Deo: quia etsi audit Missam, illud valde modicum est respectu totius diei; & modicum pro nihilo reputatur ..... Non vacare Deo pro majori parte diei peccatum est.* His & hujusmodi alijs rationibus bene perpensis cardinalis Cajetanus, vir inter theologos valde gravis, serio fideles admonuit, quod *licet cum abstinentia a servilibus, solius Missæ cultus sufficiat in Festo ad evitandum peccatum mortale; tenentur tamen fideles diem expendere in divinis laudibus, saltem eundo ad prædicationem & ad vesperas. Unde, qui post Missam festos dies vane consumunt, lu-*

den-

dendo, jocando, otioseque vagando, aut venando, spectaculis intendendo, licet ex ipsis operibus, utpote non servilibus, mortale non incurrant; ex omissione tamen divini cultus, ad quem festa instituta sunt, graviter peccant: quia non reddunt, quæ sunt Dei, Deo; & quia, quantum est in se, ridiculo exponunt christiana festa, juxta illud: viderunt eam hostes, & deriserunt sabbata ejus; *Et hoc præcipue tangit viros graves, & majores dominos: ceteri namque eos imitantur.*

Quos igitur supra memoravimus abusus, si qui irrepsere, ii sunt, nostra præcipue opera corrigendi; hujus generis errores, sunt nobis in omni patientia & doctrina refellendi, ac fideles omnes sanis doctrinis instruendi, quibus ipsi inhæreant oportet in re tam gravi, quæ animarum suarum salutis potissimum interest: ne falso sibi suadeant, magnam se assumpsisse religionem, quod Festorum numerum ultra Ecclesiæ præceptum sponte sua multiplicent, dum interim eorum, qui ex præcepto retinentur, accuratam negligunt observantiam. Quod si qui facerent, merito corriperet eos Deus per os prophetarum suorum: *dispergam super vultum vestrum stercus solemnitatum vestrarum* (Malachiæ *cap. II. vers.* 3.). *Neomenias & sabbatum & festivitates alias non feram; iniqui sunt coetus vestri; calendas vestras & solemnitates vestras odivit anima mea; facta sunt mihi molesta; laboravi sustinens* (Jsaiæ *cap. I. vers.* 13.). *Quæ est hæc res mala quam facitis, & profanatis diem sabbati?* (2. Esdr: XIII.)

Voluntas igitur sanctissimi Patris ea quidem minime est, ut fideles ipsi a religionis ac pietatis actibus, vel a Sanctorum veneratione

ne in abrogatis Festis arceantur; sed dum manuum opus antea interdictum iisdem liberaliter indulget, ut proprijs ac domesticis commodius consulant necessitatibus, vult etiam ac præcipit, ut festi dies, qui sunt ex præcepto colendi, sobrie, juste ac pie transigantur.

Huc autem referri maximè debet concionatorum & confessariorum studium ac vigilantia. Cum enim ministri Christi sint, & dispensatores mysteriorum Dei, fideles non invenirentur in eorum ministerio, nisi filios, qui eorum fidei curæque se committunt, uti spirituales decet patres, recte instruerent, assidue monerent, ac opportune corrigerent. Quare, etsi mihi dubium non sit, quin ipsi hæc omnia populis opportune inculcare usque adhuc non destiterint; nunc tamen, ex quo talis incidit opportunitas pontificiæ promulgandæ dispensationis, id faciendum diligentius ac frequentius omnino videtur, neque desistendum, quoadusque populus necessaria, quæ sunt, recte addiscat, calleat, & adimpleat.

Jtaque operæ pretium ex officio suo paternitas Vestra faciet, si concionatoribus & confessariis provinciæ suæ monita ejusmodi frequenter graviterque commendet & inculcet. Pari vero sedulitate curandum est, ne ab ejusmodi, quæ concionatoribus & confessariis inesse debet sollicitudine, ceterorum Religiosorum ratio & actiones ullomodo discrepent. Singuli enim, ac nos præcipue, qui Ecclesiæ mancipati sumus, ad animarum salutem ac sanctificationem, cogitationes, curas & operam, *secundum propriam virtutem*, conferre tenemur. Qui enim plura talenta acceperit, ea omnia diligenter negotiari debet, ut, veniente domino, concreditam sibi summam, *utique cum*

usu-

usuris, reddere ei possit. Non enim excusatur, qui, cum unum talentum acceperit, abiens fodit in terram & abscondit pecuniam domini sui. Jnutilem servum hujusmodi præcepit Dominus in tenebras ejici exteriores.

Maximam autem apud sæculares & idiotas vim habere poterit Superiorum localium exemplum in ecclesiæ bonorum, si quæ habent, administratione. Quæ de servis vel adscriptitiis ex sanctissimi Patris voluntate in memorata ad illustrissimos & reverendissimos episcopos epistola admonui, ea ipsi accurate exequantur. *Quod si is, qui suorum non habet curam, Fidem abnegavit & est infideli deterior; qui suos etiam violat, ubi constituetur? cum quibus assistet?* (s. Johannes Chrys. *homil.* 53. *in Matth.*) Quis autem post eos, quos jura sanguinis jungunt, magis *suus* cuique est, quam servus domino? Nam, si inter eos status & fortunarum impar est conditio, debet tamen utrosque æqualis caritas jungere, quos junxit non modo æqualis natura, sed & æqualis vocatio in Christo Jesu. Apud Deum enim & Dominum nostrum, ut ait Apostolus, *non est servus, non est liber; omnes* nos *unum* sumus *in Christo Jesu* (ad Galat. III. vers. 28.); quia *sive servi, sive liberi, omnes in unum corpus baptizati sumus, & omnes in uno spiritu potati sumus....* Imo *corpus Christi sumus & membra de membro. Si quid* igitur *patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra* (1. ad Corinth. *cap.* XII.) Servos igitur nostros diligamus, *non verbo, neque lingua, sed opere & veritate* (1. Joh. *cap. III.*) Porro *unusquisque quodcumque fecerit bonum, hoc recipiet a Domino, sive servus, sive liber; & vos domini eadem facite illis* (servis), *remittentes minas, scientes*,

tes, quod & illorum & vester dominus est in cælis, & personarum acceptio non est apud Deum (ad Ephes. *cap. VI.*)

Insuper, *cum validiora sint exempla quam verba, & plenius sit opere docere, quam voce* (s. Leo *Serm. de S. Laurent.*), studiose invigilent Superiores, ut quod ad eos spectat, nihil in executionem eorum, quæ summus pontifex monenda mandavit, desiderari contingat; statuantque hac in re obsequii, & obedientiæ Jesu Chisti Vicario debitæ, primum ac singulare documentum. Præcaveant igitur, ne in Festis, quibus adjunctum superest præceptum, quidquam in suis locis vel fundis peragatur, quod eorum sanctificationi adversaretur, ne in Religiosorum locis renovari contingat profanationes, de quibus Simon archiepiscopus Cantuariensis in synodo Machfeldensi anno 1332. graviter conquerebatur: *Quod in electorum Dei receptum erat honorem, conversum est in blasphemiam, & abominationem; dum videlicet conventiculæ negotiationis & aliæ exercitia illicita diebus hujusmodi potissime ingeruntur; quod vero ad devotionis parabatur compendium, in dissolutionis erigitur cumulum; dum in ipsis festivitatibus taberna colitur potius, quam ecclesia; comessationes & ebrietates uberius abundant, quam lacrymæ & orationes...... Tanquam solemnitates ipsæ ad profanationis & perversitatis exercitium gratis fuerint institutae! (Concil. Tom. XI. col.* 1789. *edit. Labbeanae.)*

Cum vero nullo tempore destiterit Ecclesia, quin mercatus & nundinas, quæ diebus festis agerentur, reprobaverit, caveant præcipue Religiosi, ne in eorum locis ecclesiasticæ hujusmodi sanctiones negligi videantur. In iis igitur,

tur, non modo mercatus & nundinæ non permittantur, verum etiam rusticis & vicanis, qui ex eorum pendent imperio, quominus eas alibi frequentent, severe interdicatur, & ad jussa adimplenda modis omnibus alliciantur. Comperta omnibus esse debent, quæ diversis temporibus & locis his de rebus sanctæ decreverunt Ecclesiæ, & maxime in Conciliis Turonensi III. & Arelatensi VI. anni 813., Toletano an. 1473., Mediolanensi I. an. 1505., III. an. 1573., & VI. an. 1579, Narbonensi an. 1551., Rothomagensi an. 1581, Rhemensi & Burdegalensi an. 1583. Vobis autem ante oculos præcipue habendæ sunt decretales epistolæ summorum pontificum s. Pii V. *Cum primum* & Benedicti XIV. *Ab eo tempore*; atque synodales constitutiones provinciæ vestræ Gnesnensis: quarum omnium ad executionem præsto vobis ubique erit gratia & auctoritas illustrissimorum hujus Regni & magni ducatus Lithuaniæ episcoporum, qui in eam rem curas & sollicitudines suas omnes impendent.

Tabernæ vero in Religiosorum prædiis aut pagis prorsus claudantur; neque ullum permittatur convivium aut compotatio in domo parochiali seu religiosa, ac multo magis in coenobiis: uno verbo ab Regularium exemplo discant sæculares omnes & intelligant, summi pontificis atque episcoporum consilia & monita dura minime esse, imo perfici facile posse, modo spiritu Dei, ac salutis animarum zelo agamur. *Honorasti martyres*, ajebat s. Johannes Chrysostomus, *dum adfuisti, dum audivisti, dum studium præ te tulisti: honora etiam illos modeste domum recedendo; ne quis ubi te parum decore gerentem viderit in popina, te non propter martyres venisse dicat;*

cat, sed ut vitium augeres, ut improbæ cupiditati servires........ Si ergo postquam ad martyres accessisti, postquam hinc discesseris, ebrietati vacaturus es, melius est, ut domi maneas, nec indecore te geras, neque martyrum solemnitatem probro afficias, neque proximo sis offendiculo, neque mentem obsideas, neque peccata tibi accumules (Homil. in martyres tom. II. col. 668. edit. Montfauconii.)

Contra vero si ipsi religiosi viri, qui propter eorum vocationem ad perfectiora quæque assequenda adstringuntur, quique peculiari obsequii vinculo sanctæ apostolicæ Sedi se devinctos profitentur, si inquam desides se ac segnes ostenderent ad ea exequenda, quæ ab eadem sancta Sede proponuntur & injunguntur; neque vellent non solum proprio exemplo ceteros anteire, sed, quod absit, cum rudibus populis se commiscere non dubitarent: ita ut non jam sanctificare Festa, uti decet & oportet, sed profanare viderentur; quid inde, quæso, consequeretur, nisi Dei offensio, major errorum propagatio, Ecclesiæ dedecus, atque ipsorum denique regularium Ordinum contemptus & abjectio?

Ex his igitur, ne quidquam forte contingat, præveniendam mature censui Paternitatem Vestram, ut de omnibus religiosas sibi subjectas familias diligenter præmoneat. Hoc autem potissimum non ideo animadverto, quod dubitem fore quemquam, qui & consilio & voce & exemplo suo ad meas, vel potius supremi Ecclesiæ Capitis ac sacrorum pastorum cohortationes non se alacriter conformet; sed quod video, si quid contra vel culpa vel negligentia unius vel alterius Religiosi accideret, quo sæculares homines offenderentur, id non solum

lum illi adscriptum imputatumque iri, sed etiam, per summam licet injuriam & iniquitatem, universæ ejus Congregationi, imo cunctis quoque Ordinibus regularibus & ecclesiasticis: ac si in corpus & collegium jure possint eæ culpæ & crimina transferri, quæ unius aut alterius membri propria fuere.

Hæc habui quæ hoc in argumento Paternitati Vestræ, pro debita apostolicis mandatis obedientia, meoque erga Ordinem suum studio significarem. Hæc autem epistola in singulis legatur coenobiis, Fratribus in unum congregatis, atque iis, qui literas nesciunt, vulgari idiomate explicetur. Concionatoribus vero & confessariis in promptu semper sit, ut nullam omittant occasionem, qua salutaria monita atque ea omnia, quæ supra innui, insinuent & inculcent. Interea Paternitati Vestræ fausta omnia ac salutaria ex animo apprecor &c. Dat. Varsaviæ die 30. Junii an. 1775.